Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

face quo celerius restituar vobis. Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti eterni dominum nostrum ihesum christum aptet vos in omni opere bono ut faciatis voluntatem eius faciens in vobis quod placeat coram se per ihesum christum cui est gloria in secula seculorum amen. Rogo autem vos fratres ut sufferatis verbum solatii. etenim per paucis scripsi vobis. Cognoscite fratrem nostrum timotheum dimissum. cum quo si celerius venerit videbo vos. Salutate omnes prepositos vestros et omnes sanctos. Salutant vos de ytalia fratres. Gratia dei cum omnibus vobis. amen.

Explicit epistola ad hebreos. Incipit prologus in actus apostolorum.

Lucas antiochensis natione syrus. cuius laus in evangelio canitur. apud anthiochiam medicine artis egregius. et apostolorum discipulus. postea usque ad confessionem pauli secutus apostolum. sine crimine in virginitate permanens. domino maluit servire. Qui octoginta et quattuor agens etatis annos in bithinia de seculo noscitur emigrasse. Hic igitur divino stimulante impio postea quam in achaie partibus evangelium scribens grecis fidelibus incarnationem domini fideli narratione ostenderet eundemque ex stirpe david de origine descendisse se monstravit. Cui non immerito scribendorum apostolorum actuum potestas in ministerio datur. ut deo in deum pleno filio perditionis extincto. oratione ab apostolis facta. sorte domini electionis numerus compleretur. sicque paulum consummationis apostolicis actibus daret. quem diu contra stimulum calcitrantem deus elegisset. Quod legentibus requirentibus deum breviter volui sermone ostendere. quam plurimis aliquid fastidientibus prodidisse. sciens quod operantem agricolam oportet de suis fructibus edere. Que tam divina subsecuta est gratia. ut non solum corporibus sed et animabus eius proficeret medicina.

Incipit actus apostolorum.

Primum quidem sermonem feci de omnibus o theophile que cepit ihesus facere et docere usque in diem qua precipiens apostolis per spiritum sanctum quos elegit assumptus est. Quibus et prebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno dei. Et convescens precepit eis ab ierosolimis ne discederent sed expectarent promissionem patris. quam audistis inquit per os meum. quia iohannes quidem baptizavit aqua vos autem baptizabimini spiritu sancto. non post multos hos dies. Igitur qui convenerant interrogabant eum dicentes. Domine si in tempore hoc restitues regnum israel. Dixit autem eis. Non est vestrum nosse tempora vel momenta que pater posuit in sua potestate. sed accipietis virtutem supervenientis spiritus sancti in vos. et eritis mihi testes in ierusalem et in omni iudea et samaria. et usque ad ultimum terre. Et cum hec dixisset videntibus illis elevatus est et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in celum euntem illum. ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis qui et dixerunt. Viri galilei. quid statis aspicientes in celum. Hic ihesus qui assumptus est a vobis in celum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum. Tunc reversi sunt ierusalem a monte qui vocatur oliveti. qui est iuxta ierusalem sabbati habens iter. Et cum introissent in cenaculum ascenderunt